



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXV. Ex consideratione Christi Jesu crucifixi omnia
adversa æquo animo nobis sunt perferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XCV.

Ex consideratione Christi Jesu Crucifixi
omnia aduersa æquo animo nobis sunt per-
ferenda.

*Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione
armamini. 1. Petr. 4. 1.*

I.

Quid hoc est: Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini? Ergo arma nostra sunt instrumenta passionis Christi? Ita est, respondet S. Thomas Ang. Bene dicit armamini, quia memoria passionis Dominicæ contra insultus & tentationes diaboli roborat nos, & munit: Proinde Christo tam generosè pro nobis passo & crucifixo, ut nos à peccatis & vitiis expediret, nos quoque armemur eadem, seu simili cogitatione & animi resolutione, exemplo & amore Christi omnia aduersa generoso animo pro Evangelica veritate sustinendi: *Nihil adde grave est, ait S. Gregorius M. quod non aquanimiter toleretur, si Christi passio in memoriam revocetur.*

S. Gregor.
in Epist.

S. Bernhard.
de Pass.

2. Reg. II. II.

2. Uriam virum egregium imitemur, quia valde indignum facinus est, si nos deliciarum mollitie diffuamus, & interim Dominus noster pro nobis in cruce pendet: *Non enim decet sub spinoso capite membrum vivere delicatum.* Urias, inquam, vir inclitus & egregius considerans Arcam Dei sub tentoriis degentem, indignum censuit in propriam descendere domum, & cum uxore oblectari, unde dixit: *Arca Dei habitat sub papilionibus, sed & Dominus meus Joab, & omnes servi eius super faciem terra dormiunt; & ego domum meam ingrediar, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam Rex, & per salutem anima tua non faciam hanc rem.* Audis hoc? Jesum Crucifixum quotidie cernis in cubili tuo; & tu quid? Ille in pœnis, & tu in deliciis? Ille DEus majestatis deprimitur & subsannatur: Et tu vermiculus, pulvis & nihil

nihil vis magnificari ac laudari? Ille JESUS tuus deputatur inter plagarios, patibularios ac sceleratos, & tu homo Christiane, magnus inter homines vis reputari? O si cognovisses & tu, & quidem in hac die, quæ nunc ad pacem tibi, quantam in morte securitatem pariat serio meditata passio crucifixi Redemptoris tui! O si cognovisses! Et utinam nunc cognosceres!

3. Cognovit illa mulier (cui Salômè nomen) mater filiorum Zebedæi, quòd regnum Christi à cruce dependeat, & Christus non alio modo ad regnum suum perveniat, quàm per crucem; unde ubi audivit: *Et tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum,* Matth. 20. 19. & tertia die resurget, subjungit sine mora Evangelista: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, & primas regni sedes pro filiis suis petiit.* Et quare hoc; quomodo crucis patibulum, de quo loquebatur Christus, & regnum cœlorum inter se conveniunt?

R. Basilius Seleucus: *Antevertit latronis voces mulier; ille in cruce orationes fundebat: Memento mei dum veneris in regnum tuum, hac autem crucem pro regno supplicabat;* quia intelligebat, quòd postea Christus dicebat: Sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ecce Dominus regnavit à ligno, & *factus est principatus super humerum ejus.* Supra Isa. 9. 6. quod egregiè Divus Augustinus: *Christus principatum super humerum habuit,* S. Aug. serm. quando crucem in montem Calvaria portavit: *Nec incongruè crux significat principatum, quæ per ipsam & diabolus vincitur, & mors superatur, & totus mundus ad Christi notitiam & gratiam revocatur.* 72. de Temp.

4. Non possum capere, quare S. Paulus ad Colossenses, neophytos suos, ut errores aliquos in fide irreptos ipsis eximeret, morèsque Christianis dignos edoceret, ad ipsos scripserit: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Colossens. 1. 24. Quid dicis Paule, vas electionis, & doctor gentium: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi?* Nunquid Christi passio sufficientissima extitit ad redimendos mille mundos, si totidem fuissent? Cur ergo dicis aliquid ei deesse? Et quid ergo passioni Christi crucifixi deest?

R. Cornelius & alii: Nimirum communicatio & participatio passionis & meritorum Christi, ut scilicet Christus non tantum in se, sed etiam in suis membris, id est Apostolis, SS. Martyribus aliisque fidelibus, similia patiat, & hac passione propagetur & perficiatur corpus ejus, quod est Ecclesia; quia Christus quidem passus est in sua carne, sed nondum in tua; cum ipse passus sit patienter pro te: restat ut & tu libenter patiaris pro ipso, cum æquum sit membra capiti

1. Petr. 2. 21. per omnia conformari: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens Exemplum, ut sequamini vestigia ejus. O quam durum multis!*
- Luc. 22. 29. 5. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: dicebat quondam Veritas Christus ad dilectos suos discipulos in ultima cena congregatos; ubi singulariter ponderanda sunt ista verba: Sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Subintrat hic doctissimus Oleaster: Dic nobis bone Jesu, quomodo tibi Pater disposuit regnum tuum? Et mox respondens ait: Per calicem passionis & crucem: Volve, ait Seraphicus Doctor, & revolve vitam boni Jesu, & non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in poena fuit. Ecce hæc erat Salvatori tuo prævia dispositio ad regnum æternum & cœlestis acquirendum; unde iterum ad discipulos: Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Si hoc Christus, quid tu anime mi? An servus est major Domino suo? Æneam audiamus, quomodo socios suos in adversis animaverit:*

O socii (neque enim ignari sumus antè malorum)
O passi graviora! dabit Deus his quoque finem,
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

- Per varios casus, per tot discrimina rerum, tendimus ad cœlum.
2. Paral. 65. 12. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*
- Gen. 28. 17. 6. *Miror quare Jacob Patriarcha aded terrefactus fuerit, ubi mirabilem illam scalam à terra usque ad cœlum pertingentem conspicatus est, unde evigilans de somno pavens exclamavit: Quam terribilis est locus iste: non est hic aliud, quam domus Dei & porta cœli. Et quomodo, obsecro, terribilis ille locus esse potest, in quo ipsi inter Angelos ascendentes & descendentes rectissima ad cœlum via monstrata est?*
- vers. 13. 7. *Vidit Jacob, prout observat Scriptura, simul Dominum innixum scalam, hoc est Verbum incarnandum, & in cruce suspendendum; proinde non mirandum, quòd Jacobo terribilis ille locus videbatur: Scala incumbere, ait D. Augustinus, est in ligno pendere, & iterum: Scala ad cœlos attingens, crucis figuram habuit, Dominus innixus Scala Christus Crucifixus ostenditur. Hinc Sapiens de illo Jacobo dixit: Justum deduxit (Dominus) per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, hoc est per vias asperas, ut habet Chaldaicus, & per viam crucis, hæc enim rectissima ac securissima ad cœlum via est, quâ justis & à Deo dilectis pergunt ad gloriam sempiternam. Terribilis videtur ille locus multis Christianis, ubi Dominus in Calvario monte scalam crucis innixus apparet, sed & ibidem nobis viam ad cœlum aperit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

7. Involarunt quondam impii Judæi, velut apes furiosæ, in JESUM Nazarenum, id est floridum, eumque millenis pupugerunt vul-neribus: *Circumdederunt me sicut apes; sed inde non sibi mel, sed genci-bus præsertim expresseverunt; imò & Christo mel de plagis fluxit, hinc consummata passione in resurrectione favum mellis gustare voluit: Et illi, Apostoli, obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Ubi observa pientissimi Redemptoris mirandam in suos benignitatem: Prius ipse fel, quam mel voluit gustare, prius ab apibus in Calvaria monte cruentari, quam dulci favo mellis in Sion recreari; Sicut alter Jonathas, mani-bus ac pedibus ascendit in Golphatha, antequàm in extremitate virgæ, hoc est crucis, favum mellis degustaret: *Favos, ait antiquissimus Ter-tullianus, post sella gustavit, nec antea Rex gloria à cælestibus salutarus est, quam Rex Judæorum proscriptus in crucem.*

Psal. 117. 12.

Luc. 24. 42.

Tertull. l. de coron. mil. c. 24.

Vide, & considera ex his, anime mi, quomodo omnis Christi actio nostra fuerit instructio, per quod indicare voluit, quòd in hac mortali vita non mel gaudiorum ac voluptatum, sed potius fel affli-ctioquum sit nobis delibandum. S. Catharina Senensis non auream à Christo Sponso suo oblatam coronam, sed spineam elegit, & con-stanter per reliquum vitæ suæ curriculum in capite suo gestavit. Nunc ergo per aspera, tunc autem ad prospera; nunc amarum fel, tunc dulce mel; nunc per crucem, deinde ad lucem: *Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.* Elias per turbinem ascendit in cælum; nec DEUS tibi, si amat te, aliam viam in cælum pinget: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Vade in pace, & tacite hæc tecum considera.*

4. Reg. 2. 1. Act. 14. 21.



CON-